

culis unam educens; forte disceret, ad eam sibi esse eun-
dum, cujus nomen illa contineret. Videndi sunt in h. I.
S. Hieronymus, & Theodoretus. Alii: *jaciet sagittas*: ut
mistim rectâ in altum duas vel tres sagittas librans, vi-
deret; utrûm ad dextram, versus Jerusalem; an ad si-
nistram, versus Rabbath, caderent, & ipse eò se, cum ex-
ercitu, conferret? Quæ & ipsa explicatio non nihil
quadrat ad comma sequens: *Ad dexteram ejus facta est
divinatio super Jerusalem &c.* Sed de βελομαντεία aut
ραβδομαντεία consulendus Johannes Baptista Villalpan-
das Comm. in cap. XXI. Ezech. Tom. 1. Seldenus in
Syntagm. 1. de DIS Syris, c. II. p. 101. & seq. Delrio Lib.
IV. disq. Magic. c. II. quæst. 7. sect. 3. Georgius Wicelius
in adnot. ad versionem Bibl. Witteb. p. 136. &c. Calius
Rhodiginus Lib. VII antiq. Lect. cap. 29. Ex quibus ver-
ficulus 12. cap. IV, Osee facilius poterit intelligi: *Populus
meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus adnunciavit
ei.* Ubi Deus conqueritur, quod populus qui ipsum Ma-
gistrum ac ducem habere, ipsumq; consulere posset,
malit idola per baculos interrogare, ut prænoscat fu-
tura. Sunt tamen, qui aliter exponant.

Extispiciû.

29. Altera innuitur verbis: *רוּחַ אֱלֹהִים בְּכַבֵּד* *intro-*
spexit i. e. *inspiciet* (vaticinii enim circumstantia flagi-
tat, ut præteritum Ebræum per futurum exponatur)
jecur. Et si immolatis victimis exta omnia Gentiles di-
ligentissimè considerarent, ut epar, lien, cor, renes &c.
epar tamen vaticinii fons erat. Quod si careret vitio,
portendi læta opinabantur: sin vitiatum esset, aut non
suo loco constitutum; adversa nuntiabat; sive cætera
consentirent, s. dissentirent. De hac ἡπατοσκοπία vide-
antur plura apud Ludovicum Lavaterum in caput XXI.
Ezech.